Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 245
Quelle:
Copyright:

tandum. quod effusio vngenti facta in Bethania Sabbato ante Palmas in domo Symonis leprosi fuit occasio qua Judas dominum christum tradidit &c. Abruptae videntur in his verbis: *Signantes lapidem cum custodibus. Hussi* tamen in *Passionem J. C. Expositio*, nostrae non multum absimilis *Opp. P.* II. p. 8. iisdem verbis terminatur.

XIX. *fol.* 247. *Sermo primus in cena domini de eadem Epistola*, id est, I. *ad Cor.* 11. *Convenientibus vobis in unum* &c. Initium: *Indeuote et indigne accedentibus ad sacramentum altissimum preciosi corporis* &c. Sequitur *Sermo in natiuitate Domini*, contextus e locis *Ambrosii* et *Augustini*. Item, *in die Natiuitatis christi ihesu*, in illud *Luc.* c. 2. *Exiit edictum* &c. Exordium a loco *Bernhardi: Festum hodiernum est quasi ortulum odoriferum* &c. Omnes hi III. *Sermones* ad *Job. Hussum* vel aliquem ejus Discipulorum pertinere videntur. Ultimo *Bohemica* quaedam non semel insperſa sunt.

XX. *fol.* 271. Discutitur Quaestio de Benedictionibus Aquae, Carnium, Panum &c. hoc initio: *Opinio quorundam. qui dicunt. ut puta aqua carnes panes casei &c. non indigent aliqua benedictione per sacerdotes facta* &c. Autoribus variis, quin *Job. Januensis Catholico*, adductis deciditur pro Ritu Ecclesiae.

XXI. *fol.* 274. Oratio Legatorum *Bohemiae* ad *Nicolaum* V. Initium: *In nomine eius feliciter Amen. Ex cuius immensa potentia constat tocius huius mundi sensibilis confecta armonia* &c. Ajunt, Populares suos accepisse a Praecessore *Nicolai Eugenio literas suauissimis apicibus redolentes*, quibus moti hanc ad illum legationem destinassent. Verum jam in itinere constitutis renuntiatam esse *Eugenii* mortem. (23. Febr. 1447.) Institisse ipsos nihilominus viam et nunc rogare, *quatenus iuxta sponsionem literarum predecessoris dignetur ipsos et regnum ipsorum paterna et beniuola caritate respicere*. Speciatim vero, *quatenus venerabilem virum Johannem de Rokiczan magistrum alme vniuersitatis pragensis. virum utique in ipsa vniuersitate et pragensi Ciuitate honeste et laudabiliter conuersatum. sapientia. scientia. facundia ac eloquencia preditum ab ipso regno cum clero suo tanquam ydoneum. et benemeritum ad Archiepiscopatus officium Ecclesie pragensis electum, In laudem omnipotentis dei. pro pace et tranquillitate eiusdem regni. proque salute et consolatione non modica populi confirmare dignetur et prouidere, ut gracioſe consecretur.* &c. Eadem Petitio instaurata *Pragae* apud *Job. Carvajalium* Card. Legatum *Nicolai* V. ut habes *Cochlaei Hist. Hussit.* L. X. p. 353. ad an. 1448. Verum pro versutissimo *Rokyczana* nihil impetratum, quod Capitulum Metropolit. *Pragense* secretis literis, quis homo esset, *Nicolaum* edocuerit, ut refertur in illius vita in *Effigieb. Eruditt. Bob. et Morav.* P. II. *Pragae* 1775. p. 97. 8.